

contingere et expugnare cœlum potest; ergo illud suum esse merito existimat et vocat regnum suum.

V. Quia uti regnant in cœlo beati, sic suo modo Christiani in Ecclesia præsenti. Nam primo, sicut beati nullis legibus subjecti sunt; quia a Dei voluntate nec possunt nec volunt recedere: sic etiam in Ecclesia: *Iusto lex non est posita*, teste apostolo, I. Tim. VI. Et ut ait ibi S. Chrysost. *Iustus non est sub lege, sed supra legem*; quia legem quidem obligantem habet, non tamen cogentem; nam quæ legis et æquitatis sunt, facit ultro et ex amore, quemadmodum et beati. Unde idem apost. ad Gal. V. ait: *Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege*. Aristippum interrogavit Dionysius tyrannus quid præ cæteris mortalibus eximium haberent philosophi? Cui Aristippus: *Ut etiam si omnes leges aboleantur victuri simus*, Laert. I. VI. Multo verius hoc dicitur de philosophia christiana, in qua oderunt peccare boni virtutis amore. Unde fit ut hoc ipso regnent, dum hoc pacto serviunt Deo. Servi enim Dei ejusdem etiam amici sunt. Unde Deus facit voluntatem eorum, quemadmodum in Ecclesia triumphante, ita et in militante, juxta id: *Voluntatem timentium se faciet*.

Secundo, quia norunt seipsos regere et dominari appetitibus suis, iræ, gulæ, superbiam, libidini, avaritiæ, membris item, potentiis et passionibus suis. Unde S. Augustinus, in sententiis, sent. CCXLII. ait: « Non caret regia potestate qui corpori suo noverit rationabiliter imperare. Vere enim dominator est terræ, qui carnem suam regit legibus disciplinæ. »

Tertio, quia dominantur mundo et iis, quæ in mundo sunt, opibus, honoribus et voluptatibus, per contemptum earum. Unde Apoc. XII. dicitur Ecclesia lunam, id est, sublunaria et mundana habere sub pedibus: *Quia ipsa cuncta temporalia et omnem creaturarum mutabilitatem despicit et pedibus calcatur*, (ut ait S. Gregor. XXXIV. mor. c. XII.) item infidelibus, hæreticis et improbis, quos aut convincunt aut confundunt, rursus dæmoni, mortui, persecutioni et quibuscumque tribulationibus; quia superare hæc omnia norunt, ideoque ea despiciunt et rident tamquam ex loco edito vel cœlo. Ob has causas S. Petrus, ep. I. c. II. vocat christianismum *regale sacerdotium*; ideoque olim baptizatorum capiti corona imponebatur ab episcopo benedicta, quod videlicet reges essent ad Dei familiam et regiam dignitatem evecti, ut scribit Severus Alex. I. de baptismo. Propterea etiam inunguntur infantes, quemadmodum et reges.

VI. Quia in terris cœlestem vitam agit aut æmulatur saltem militans Ecclesia: certè filios suos

ad ejusmodi vitam dirigit et hortatur. Quemadmodum enim nobiles pueri in Chaldaea de mensa regis alebantur, instituebanturque in litteris et lingua Chaldæorum (scientia autem Chaldaea erat fere astrologia) usque dum apti essent apparere coram rege, eique semper assistere, Dan. I. ita et Ecclesia nutrit filios suos in s. communionem de mensa regis cœlestis, in qua Christus ipse cibus et deliciæ est beatorum: instituit etiam illos in vera sapientiâ ad Dei cultum et obsequium aliasque virtutes, quo nimirum digni fiant assumi ad regem cœlestem: docet eos astrologiam, contemnere omnia sublunaria, nec sibi in hoc sæculo manentem comparare civitatem, sed futuram inquirere: docet eos linguam cœlestem, id est, Dei laudem, videlicet in templo ad instar angelorum quotidie et pene continuo Deum laudare in hymnis et sacrificiis, item quotidie ter dicere cum beatis: *Sanctus, sanctus, sanctus*, dum trino pulsu, matutino, meridiano, vespertino, ad orandum eos hortatur, omnia in laudem et gloriam Dei facere, servare concordiam et pacem, per omnia Dei voluntatem facere, unde orat quotidie: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*, vitam monasticam sectari et ita angelorum vitam in religione vivere: denique, conversationem suam in cœlo habere, et corde ac desiderio semper in cœlo fixum esse.

Quæ cum ita sint, laudemus imprimis Christum cum sanctis omnibus dicentibus, Apoc. V. *Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes, et regnabimus super terram*. Deinde, operam demus ut ne in hoc regno putrida membra simus et solo nomine Christiani, nec coronam Christi regiam spuris gemmis contaminemus ne nobis aliquando dicatur: *Filii autem regni ejicientur foras*. O quantum hoc affliget damnatos Christianos, cum animo revolvent se jam aliquando fuisse in regno cœlorum, Ecclesia videlicet, quæ rectissima ad cœlum via est ejusque municipium; inde vero cum Lucifero excidisse in infernum! Jam non dubito amplius quin mali Christiani profundius in infernum cadant et gravius damnentur, quia ex altiori loco, ex ipso videlicet regno cœlorum cadunt in profundum illud barathrum. Deijcite e turri lapidem molarem, vel campanam: nonne in terram profundius cadet, quam si de curru caderet? Ergo, etc.

CONCIO II.

INCREMENTUM ECCLESIAE.

I. Crevit viris apostolicis. — II. Ordinum statibus variis. — III. Legibus et censuris. — IV. SS. cæremoniis. — V. Scientiis et doctrinis. — VI. Viris sanctis. — VII. Virtutibus.

THEMA.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis.
Matth. XIII.

Varias expositiones hujus parabolæ adducunt ss. patres, quæ quoniam inter se non pugnant, sed fere in idem coeunt, omnes debent cum veneratione suscipi. S. Hilarius, Ambrosius, Gregorius per regnum cœlorum et granum sinapis Christum intelligunt, S. Chrysost. Ecclesiam, S. August. fidem, S. Hieronymus prædicationem evangelii. Omne hæc explanationes sibi cognatæ sunt et a se invicem dependent. Placet inter illas sententia Chrysostomi, hom. XLVIII. in Matth. qui per granum sinapis Ecclesiam intelligit. Quemadmodum enim granum sinapis in se minimum, in arborem excreseat altiore omnibus herbis; ita et Ecclesia e minimo exordio crevit in regnum omnium amplissimum, toto orbe diffusum. Deinde, quemadmodum granum sinapis multa et varia corpora virtute in se continet; uti lignum, corticem, ramos, virgas, folia, flores, fructus, (siquidem seminatum hæc omnia ex se gignit) ita et Ecclesie regnum in suo exordio humile, parvum et contemptum sensim crevit et ingentes fructus protulit, non dissimiles illis, quos in grano sinapis contineri diximus. Eos vero nunc contemplabimur.

I. Granum sinapis virtute in se continet primo, stipitem arboris seu lignum, in quod excreseat. Ita et Ecclesia continet in se viros apostolicos, in fide firmissime solidatos, robore duriores, quia ad quævis adversa infracti, ad quævis martyria sustinenda imperterriti sunt; prælatos item et pastores scientia et virtute præcellentes, qui infirmiores alios fideles veluti ramos suo robore sustentant, et succo doctrinæ atque exempli sui pascunt, adeoque totum Ecclesie corpus sustentant, fundati in radice Christo. Fuerunt autem Ecclesie necessarii tales viri, qui potestatem jurisdictionis haberent ad fideles gubernandos, ad prædicandum evangelium, ad sacramenta dispensanda, etc. non minus, quam ovili necessarii sunt pastores ad hoc deputati; tum ne, si civis se ad concionandum et sacramenta dispensanda ingerenti credere oporteret, essemus sicut parvuli fluctuantes et circumferremur omni vento doc-

trinæ in nequitia hominum, in astutia, in circumventionem errorum, ut cibum verbi Dei Ecclesie filiis parvulis frangerent, præmaderent et distribuèrent. Submisit porro Christus paulatim hujusmodi viros Ecclesie suæ majore numero, et ita quidem, ut non modo civitates illis abundent, verum etiam pagi omnes populosiores suis instructi sint pastoribus et concionatoribus per universam Ecclesiam, iisque pulcherrimo ordine sibi invicem subordinatis, ita ut omnes ab uno Ecclesie capite dependant, et in ejus fide et obedientia inter se connexi sint. Ex quo et illud fit, ut nemini facile sit ingerere se in opus pastorale absque legitima missione, aut errores seminare: quandoquidem a superiore magistratu cito deprehenduntur et corripiuntur isti lupi. Atque ut de sola nostra Germania aliquid dicam, habet ea quatuor nuntios apostolicos, septem archiepiscopos, quibus universim subiecti sunt, plusquam quadraginta episcopi, demptis iis, qui immediate subsunt Romano pontifici, et qui aliis archiepiscopis extra Germaniam sitis. Horum singuli episcopi multis præsentibus abbatibus, præpositis, prioribus, decanis. Et hi compluribus parochis, qui ita commode per omnes terras divisi sunt, ut nulla reperiat ovicula, quæ suum nequeat demonstrare pastorem. Ad hos igitur viros attendit peculiari cura Ecclesia, ut sint (contra quam hæretici) nubes aqua cœlestis sapientiæ plenæ ad irrorandos fideles, sint arbores non bis mortuæ, sed bis vivæ, duplici vita, fidei et charitatis: nec sint contenti foliis verborum, sed fructus etiam proferant bonorum operum: non sint mare turbatum, sed tranquillum, non sidera errantia, sed fixa in fidei petra, et sint velut stellæ polares ad aliorum directionem. Crevit denique in his Ecclesia, non solum numero sed etiam robore, dignitate et potentia in summis pontificibus et episcopis, ita ut ipsi suis operibus et viribus defendere queant Ecclesiam contra ejus hostes, siquidem episcopi in multis nationibus sunt etiam principes in temporalibus. Huc respexit Zacharias, cap. IX. dicens: *Circumdabo domum meam ex his qui militant mihi euntes et revertentes, et non transibit super eos ultra exactor*.

II. Ramos permultos. Hi vero sunt varii ordinum status seu religiones earumque fundatores magno numero et varietate institutorum et regularum, ad scopum perfectionis collimantium. Hi ordines Ecclesiam velut rami arborem miro modo exornant atque juvant. Ornant quidem, dum sublime vitæ genus, quod quævis impedimenta perfectionis removet et ad Christi imitationem proxime accedit, sectantur, eique se ex-

voto adstringunt: in eo pares omnes, quod trium consiliorum, paupertatis, castitatis, obedientiæ professionem faciunt; in alio varii et dispares, quod singuli se ad specialia quædam consilia obligant: quidam strictissime silentium colunt, ut contemplationi ac divinis laudibus commo- dius vacent, cum Moyse in monte orantes pro his, qui instar Josue in campestribus præliantur: alii contemplationi actionem jungunt et variis se misericordiæ corporalis et spiritualis operibus ad proximorum solatium et profectum dicant: horum quidam curandis et fovendis ægris toto studio deserviunt, alii stipem pro redimendis captivis corradunt, alii sacramenta administrant, concionantur, docent, hæreticorum et infidelium conversioni incumbunt, et ob hæc in remotissimas etiam orbis partes navigant, alii vigiliis, alii jejuniis, et abstinencia a carnibus, alii ciliciis et asperiore vestitu solertius se castigant. Juvant vero Ecclesiam, dum a mille curis liberi proficiunt in virtutibus et ita suo exemplo sæculares ædificant, suis precibus defendunt, suis doctrinis et concionibus erudiunt, convertunt et ad virtutem stimulant. Ubi enim plures sanctos invenire est, quam in domibus religiosis et monasteriis? Ubi qui plures utilissimos libros conscripserint, infideles converterint, hæreticos ac schismaticos contuderint, quam in monachorum claustris? Unde sanctissimi quippe episcopi et pontifices, nisi ex religiosorum cætibus assumpti? Ad hos igitur innumeræ aviculæ undique advolarunt, ut in iis requiem, umbram et tutelam a mundi prædonibus invenirent. In his nidum suum posuerunt, sanctorumque operum foetus excluderunt: in his velut aviculæ diu noctuque cantillarunt, horarias scilicet laudes et preces. Porro hi rami omnes inter se connexi et copulati sunt; non fide humana, amore naturali et lege civili quemadmodum resp. et familiæ politicæ, sed fide divina, charitate supernaturali et legibus canonicis.

III. Complures palmites et virgas e ramis prodeuntes. Tales autem sunt in Ecclesia leges et censuræ, quibus paulatim magis et magis aucta et intra pietatis ac justitiæ limites contenta est, maximo suo bono et ornamento. Sciendum enim Ecclesiam similem esse regno. In omni autem regno et republica bene ordinata necessarium est præter legem naturalem alias quasdam leges peculiare esse ad singulorum statuum et ordinum directionem, ut omnia debite, tranquille et ordinate fiant; (cujusmodi fuisse aulam Salomonis ob leges singulorum officialium exactissimas, non est dubium.) Quare in Ecclesia etiam præter legem evangelicam quæ

generalis est, oportuit alias particulares esse, ut omnia recte fierent. Deinde, quia Christiani sæpe officii sui penitus obliviscuntur, ejus commo- nendi erant et ad viam debitæ præceptis reducendi, necnon pœnis et censuris cogendi. Profecit igitur in his paulatim magis Ecclesia operante Spiritu sancto et dirigente præses Ecclesiæ, ut sanctis hujusmodi legibus undique vallaretur atque in vigore suo virtutumque studio conservaretur. Etenim præcepta Ecclesiæ non tam novum onus imponunt quam tempus, quo divinum præceptum impleri debet, determinant. Imprimis enim certum est, aliquando jure divino cultui Dei vacandum esse, cum autem eodem jure tempus non sit determinatum, necesse fuit illud ab Ecclesia determinari, quæ dominicam et festos dies sanctificari jussit. Secundo, juris quoque divini obligatio est, Deo sacrificium offerre, et quia hoc etiam populo commune est, necesse est aliquando huic oblationi interesse; adeoque conveniens erat statutum aliquod Ecclesiæ esse, quod hanc obligationem ad dominicam et festos dies determinaret. Tertio, certum etiam est, ex divino jure, nos ad jejunium et abstinenciam teneri, licet idem jus nullum certum jejunandi tempus aut modum præscribat, quale præceptum Ecclesiæ certas festorum vigiliis, quatuor tempora, et quadragesimam designat. Idem de confessione et communione dici poterit; utramque enim Christus jussit, licet nullum determinatum tempus præfixerit; Ecclesia convenienter statuit, ut saltem semel in anno omnes Christiani, qui ætatem habent, confiteantur, et circa festum paschæ communicent. Nullum itaque novum gravamen hæc præcepta fidelibus imponunt, imo impositum divina lege pondus alleviant; nam tempus designant, quo ei legi satisfaciendum sit, ne nos de eo scrupulose et anxie inquiramus.

Magno itaque bono leges istæ præscriptæ sunt fidelibus. Quod enim est vallum et murus urbi, quod sepes horto, quod excubiæ exercitui, hoc sunt Ecclesiæ leges istæ. Sed nec minus necessariæ ac salutares eidem sunt censuræ et pœnæ ecclesiasticæ; quasi baculi et virgæ ad coercendos malos. Debent enim republicæ duobus omnino conservari, præmiis scilicet et pœnis. Et quia contumaces tam sibi quam aliis noxii sunt, ideo expedit et ipsis et aliis, ut per disciplinæ severitatem corripiantur. Hujusmodi vero censuris quasi virgis et flagellis instructa paulatim est Ecclesia, geritque super gregem suum baculum pastorem et virgam vigilantem.

IV. Corticem, qui arborem undique ambiens partim ornat, partim luctur. Hic vero designat

cæremonias sacras in Ecclesia consuetas, quibus ipsa etiam partim ornatur, partim in pietate et religione conservatur. Imprimis enim fidei mysteria altissima sunt, et intellectu difficilia; expediebat igitur ut imbecillitati intellectus humani subveniretur, et per corporales cæremonias in spiritualium cognitionem deveniretur; siquidem etiam invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, teste apostolo, ad Romanos I. Deinde, cum charitas et devotio in plurimorum pectore refrigerit, ad eam denuo excitandam, utilissimum fuit solemnitatem aliquam cæremoniarum festorumque celebritatem introduci. Jam vero in his solemnitatibus et cæremoniis paulatim crevit Ecclesia et nunc magnopere floret. Nam et ipsæ cæremoniæ sensim in meliorem et splendidiorem formam redactæ sunt, et auctæ. Introductus in Ecclesiam cantandi ritus; hic ex choralis in figuratum, suaviorem scilicet et solemniorum, ubi fieri potuit, commutatus; addita passim Ecclesiis organa, quæ speciali Dei beneficio ad decorem cultus divini et templorum inventa merito creduntur. His accessit templorum structura, non frequentior modo, sed et elegantior; ornatus item altarium, sacrarum vestium et cimeliorum splendor longe pretiosior, ministeriorum ordo et decore amplior, etc. Hæc enim in spiritu prævidens Isaias dixit de Ecclesia nostra, cap. LX. *Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem et generationem, ita, scilicet, ut Ecclesiæ majestas gaudium sit omnibus in ea degentibus, vel eam cernentibus. Similiter Zacharias, c. XIV. multitudinem et splendorem sacrorum vasorum prævidens, ait: In die illa erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari, et erit omnis lebes in Jerusalem et in Juda sanctificatus Domino exercituum, hoc est, erit in Ecclesia copia sacrorum calicum, patenarum, cibiorum, hierothecarum, thuribulorum aliorumque vasorum ad Dei cultum sacratorum, ut ibi Lyranus et Corn. a Lap. exponunt.*

V. Folia quam plurima. Hæc significant doctrinam evangelicam et scientias, quibus adeo augendam prævidit Ecclesiam Isaias, cap. XI. ut dixerit de ea: *Repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes, quasi diceret: Sicut mare exundans operit terram vicinam, ita exundabit scientia et Dei divinarumque rerum cognitio in Ecclesia, ut ejus quasi diluvio omnes inebrientur, modo ad doctores et concionatores appropinquare velint. Testes sunt innumeri Ecclesiæ doctores omni scientiarum genere exultissimi, testes infiniti pene libri eruditissimi ab iisdem conscripti, quos numerare difficilius erit, quam folia in arbore. Ab his paulatim magis et*

magis illustrata Ecclesia, adeo nunc fulget, ut in plenilunio esse videatur, adeoque videatur magis crescere non posse. Præter enim particularia cæterarum nationum et provinciarum Concilia (quæ plurima), habet universalis decem et octo, vel, si addas Sardicense, decem et novem, ut scribit Thomas Bozius, tom. I. de sign. Eccles. fig. XIV. ad quæ omnia convenerunt in unum locum et consensere in eandem doctrinam ex omni totius orbis celebriori natione christiana aliqui episcopi vel per se vel per procuratores.

VI. Flores verno tempore copiosissimos. Hi vero in Ecclesia quinam sunt, nisi sancti vitæ sanctitate et miraculis conspicui, maximo numero ex omni hominum statu Ecclesiam exornantes? Hinc de Ecclesia prædixit Isaias, c. XXXV. *Florebit quasi lilium.* Ut enim flores liliæ cito multiplicentur et brevi totum hortum, nisi evelantur eorum radices, implent; sic aucta est sanctis Ecclesia. Unde mox subdit Isaias: *Germinans germinabit.* Unicus S. Benedictus, Dominicus, Franciscus, Ignatius peperit innumerabiles viros sanctitate illustres. Quid enim tot undique in Ecclesia religiosorum monasteria et collegia, nisi sanctorum cætus et domicilia? Et quis ea enumerare queat? Et nonne istorum odor florum totam pervadit et recreat Ecclesiam? Nonne miro modo adornat? Sed ad finem properemus.

VII. Fructus, qui in Ecclesia sunt virtutes et virtutum opera. Ea vero talia ac tanta sunt, ut novam faciem universo mundo induerint. Eo enim pertinet prophetia Isaiæ, c. LXV. dicentis: *Ecce ego creo celos novos, et terram novam.* Celos, id est, viros ecclesiasticos; terram id est, sæculares in novitate vitæ ambulantes. Si illos inspicimus, videbimus ab universo clero voveri castitatem; a religiosis præterea paupertatem et obedientiam. Si istos, videbimus in iis virtutum et bonorum operum studium olim sive a Judæis, sive a gentilibus minime receptum. Viget passim in Ecclesia spiritus precum: religiosi et omnes clerici septem horarum precibus septies in die laudem Deo dicunt. Laici omnes mane, meridie, vesperi Deo preces suas offerunt et ad campanæ pulsus genua submitunt: multi quotidie missam audiunt; instante tribulatione ad compreandandum Deum per horas quadraginta conveniunt. Publicæ orationes pro defunctis, ægrotis, afflictis in Ecclesiis fiunt; in manibus præterea rosaria sua gestant, in quibus preces suas numerent. Deinde, apud Christianos vigent crebra jejunia, binæ etiam abstinenciæ a carnibus per singulas hebdomades. De eleemosynis quid dicam? Quis nescit episcopatus, abbatias, monas-

teria, canonicatus, hospitalia, leprosoria ingenti numero piorum eleemosynis certatim et passim erecta? Viget in eadem frequens et pius sacramentorum usus, verbi Dei auditus, aliaque christianæ pietatis exercitia, quæ si cum ethnicorum, Judæorum et hæreticorum studiis comparentur, profecto cælum novum et terra nova vocabuntur. Sed non vident illi, nec credunt hæc nostra sacra et virtutum exercitia, ideoque in suis tenebris oberrant. Nos ergo qui in hoc cælorum regno, quod simile est grano sinapis, sumus, Deum glorificemus operamque demus, ut hujus grani virtutes et incrementa in nobis elucescant. Amen.

CONCIO III.

REGNUM CHRISTI QUANTUM ALIA REGNA SUPERET.

I. Superat amplitudine. — II. Ætate. — III. Robore. — IV. Incremento miro. — V. Legum æquitate. — VI. Fructibus. — VII. Regis eminentia.

THEMA.

Cum autem creverit, majus est omnibus oleribus et fit arbor. Matth. XIII.

Hodiernum evangelium pulchre correspondet prophetiæ Danielis, cap. II. Vidit ibi Nabuchodonosor in somnio statuam prægrandem, cujus caput erat aureum, pectus et brachia argentea, venter et femora ærea, tibiæ pedum ferreæ. Et ecce lapis de monte sine manibus abscissus percussit statuam in pedibus et comminuit eos unaque statuam totam: lapis vero ille factus est mons magnus et implevit universam terram. Hoc somnium explicuit regi Daniel, asserens, quatuor illas statuæ partes designare quatuor monarchias seu regna totius orbis florentissima; caput aureum regnum Nabuchodonosoris seu Babyloniorum, quod esset felicissimum, famosissimum; pectus argenteum regnum Persarum illi succedens, quia erat ditissimum; ventrem æreum, regnum Græcorum, quod sapientissimum; tibiæ ferreæ regnum Romanorum, quod fortissimum. Lapis abscissus sine manibus, Christum denotabat conceptum absque viri opera. Is regna illa contrivit, quia orbem totum ad se traxit, et per evangelium suum immutavit: unde factus est mons magnus et replevit totam terram, quia regnum Christi, initio angustissimum, factum est omnium maximum, et dilatavit se in orbem universum, estque regnum æternum et omnium felicissimum. Jam hoc ipsum est, quod describitur in evangelio hodierno per

granum sinapis et fermentum. Superest nunc, ut ostendamus, qua ratione regnum Christi seu christianismus superest omnia regna terrena.

I. Arbor regni Christi superat arbores regnorum aliorum amplitudine, quia omnes mundi plagas, etiam prius incognitas, Indos, Sinas, Japones, etc. sibi subiecit, aut si quæ adhuc supersunt, sibi subjiciet. Hoc significat Daniel, cum ait lapidem illum factum esse montem et replevisse universam terram. Cætera orbis regna singula non nisi partem aliquam orbis continebant, quæ si in globo terrestri vel mappa inspicatur, exigua et pene nulla apparet. De Judæorum regno ait David, Ps. LXXIX. *Extendit palmites suos usque ad mare* (scilicet Mediterraneum) *et usque ad flumen* (Euphraten) *propagines ejus*. Sed quantula est hæc orbis pars? Longe aliter de Ecclesiæ regno scribit, Psalm. LXXI. *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum*: et Psalmo II. ubi omnes reges ei subditos fore asserit: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ*. Romanorum regnum quidem amplissimum fuit, sed ultra Danubium se non porrexit, multo minus ad orbem novum. Audi Tertullianum adversus Judæos, capite VII. scribentem: « Romani, inquit, tot legionibus suum imperium muniunt, nec trans istas gentes (Britannos, Mauros et Getulos intelligit) porrigere vires regni sui possunt. Salomon regnavit, sed in finibus Judæ tantum, a Dan usque Bersabec. Babylonis et Parthis Darius, non ultra: Ægyptiis Pharo, sed illis tantum: Nabuchodonosor ab India usque ad Æthiopiam hahuit regni sui terminum: Alexander Macedo nunquam Asiam universam, et cæteras regiones postquam devicerat tenuit. Sic Germani, Britanni, Mauri, Romani, imperii sui habent terminos, Christi autem regnum et nomen ubique porrigitur, ubique creditur ab omnibus gentibus supra numeratis colitur, ubique regnat, ubique adoratur. » Hæc ille. S. Leo, serm. I. de nat. Petri et Pauli, asserit Romam latius præsedisse religione divina, quam dominatione terrena. Prænuntiatum hoc fuit in die pentecostes, ubi ad primam fidei promulgationem adfuerunt omnis generis et linguæ nationes, Parthi, Medi, Elamitæ, Mesopotamii, Judæi, Cappadoces; Ponti et Asiæ, Phrygiæ, Pamphylæ, Ægypti, Lybiæ incolæ; Romani, Arabes, Cretes, Act. II. Qui tunc quodammodo fuerunt legati totius orbis.

II. Annositate, quia cætera omnia regna et parum durarunt et de facto velut arbusta evulsa sunt et perierunt, ac si quæ recentius exorta sunt, evelluntur similiter: regnum autem Christi

stetit jam 1800. annos, et stabit in æternum. Sic enim prædixit Gabriel angelus: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus et regnabit in domo Jacob in æternum*, (ei ne putes hoc per exaurationem dictum, addit) *et regni ejus non erit finis*, Luc. I. Idem omnino prædixit Isaias, cap. IX. *Multiplicabitur ejus imperium, inquit, et pacis non erit finis: super solium David et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in æternum*. Hoc idem est, quod de suo regno Christus ipse dixit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Maxima orbis regna fuerunt, regnum Babylonis, Persarum, Græcorum, Romanorum; sed primum Babylonis cepit a Nabuchodonosore, finitum est in Balthasare, eversum a Cyro, stetit annos tantum 70. Secunda Persarum monarchia cepit a Cyro, desiit in Dario, eversa ab Alexandro Magno, stetit annos solum ducentos. Tertio Græcorum cepit ab Alexandro, inde mox divisa est in regna Ægypti, Syriæ et Macedonia, stetit in Ægypto usque ad Augustum Cæsarem, qui Cleopatram cum Antonio ad spontaneam mortem adegit, regnumque Ægypti evertit; stetit autem annos 288. Quarta Romanorum quæ cepit a Julio Cæsare et Augusto, adhuc durat, sed quam divisa et debilitata? Ea demum evertetur ab antichristo. Denique, Salomonis seu Hebræorum regnum non nisi per annos 400. stetit. Solum Christi regnum adhuc stat et stabit semper; ac licet aliqua ex parte exarescant ejus rami, alia tamen ex parte succrescunt multo plures. Conati quidem sunt quam plurimi totis viribus evellere hanc arborem, tyranni primum et imperatores potentissimi, deinde hæresiarchæ callidissimi; sed incassum laborarunt, ipsi crepuerunt, Ecclesia salva perstitit, medios inter hostes, sive tyrannos, ut per annos primos 300. sive reges hæreticos, ut circa annum Domini 476. cum Odoacer Arianus tenebat Italiam, Gensericus item Arianus Africam, Visigothus etiam Arianus magnam Hispaniæ et Galliæ partem, Zeno imperator Eutychianus orientem. Quis non existimasset tunc Ecclesiam exterminandam, si humanas tantum vires pensemus? Nostri temporis hæretici, quanto nisu et impetu tam armorum quam argumentorum conabantur evellere hanc arborem? Sed crepuerunt omnes: Ecclesia stat immota, ut merito possit canere: *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, etenim non potuerunt mihi*, Psal. CXXXVIII. In quem locum S. August. ait: « Numquid ideo non pervenit ad senectutem, quia non cessaverunt illi expugnando? Consoletur igitur se Ecclesia de præteritis exemplis et dicat: *Et enim non potuerunt mihi.* »

III. Robore et efficacia, quia alia imperia in corpora tantum dominantur et actiones externas, in animam vero et internas ejus operationes vim et jus non habent, ideoque prohibere nequeunt peccata interna, nec præcipere virtutum opera, quæ in corde resident. Hinc compescere quidem mores hominum externos possunt, sed homines facere bonos nequeunt. At imperium Christi non solum corporibus in resurrectione; sed et mentibus hominum intime dominatur, easque trahere ad virtutem potest, adeoque ex obduratis, superbis, obscænis, rebellibus, facit molles, castos, obsequentes. Ecce enim qualem agnum ex quam atroci lupo fecit, cum ex Saulo Paulum fecit? Cum Matthæum, Zachæum, Magdalenam, Mariam Ægyptiacam, Pelagiam, etc. de perversis moribus ad sanctissimam vitam traduxit, et amare fecit, quod prius extreme oderant, odisse quod prius amarant? Cum ipsos sæpe persecutores, præsidēs et carnifices repente immutavit, et ex tortoribus Christianorum, confessores Christi fecit? Cum etiam histriones sacra Christianorum irridentes et scenice repræsentantes in ipso actu, afflavit et serio Christianos imo et martyres fecit, uti Genesium, Ardalionem, Porphyrium, Dioscorum?

Ad hæc reges alii corpus tantum occidere et peritura bona tollere possunt; Christus etiam animam perdere in gehennam et adimere æterna bona potest. Unde ei dicitur Psal. II. *Reges eos in virga ferrea*; quæ scilicet gladii instar penetrat per carnem usque ad animam. Regum aliorum sceptrum sunt instar virgæ lignæ, quæ facile flectitur, et frangitur, solamque carnem vulnerat.

IV. Incremento, primo, quia non armorum, opum, fraudum ac stratagematum præsidio ad tantam amplitudinem venit, uti regna alia; sed per crucem et contemptum honorum, opum, voluptatum, per doctrinæ novæ, difficilis et minime blandientis disseminationem, imo et per martyria et sanguinem multorum millium, quo quanto magis rigabatur, tanto magis dilatabatur arbor. Unde Tertullianus, in apol. cap. ult. ait: « Plures effeimus quoties metimur a vobis: semen est sanguis Christianorum. » Et S. Leo, serm. I. de SS. Petro et Paulo: « Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, et semper dominicus ager segete ditior vestitur, dum grana quæ singula cadunt, multiplicata resurgunt. » Similiter S. Chrysostomus, serm. in Juveninum et Maximum martyres: « Sicut, inquit, plantæ rigatæ magis crescunt; ita et fides nostra oppugnata magis floret, neque horti aquis irrigati ita germinant, uti Ecclesiæ, si martyrum sanguine irrigentur. » Et Sanctus Justinus, in dia-